DE ACTIONE IRRITATIVA OBSERVATIONES DISSERTATIO INAUGURALIS...

Liberale Signoretti



DE

ACTIONE IRRITATIVA

OBSERVATIONES

Dissertatio Inauguralis

QUAM AD LAUREAM IN MEDICINA RITE CONSEQUENDAM
IN PERILLUSTRI ARCHIGYMNASIO PATAVINO OBTULIT

LIBERALIS SIGNORETTI

VENETUS TARVISINUS



PATAVII

EX OFFICINA SOCIORUM TITULO MINERVA

1834

ALLA

DILETTISSIMA ED OTTIMA MADRE

IN SEGNO

D' AMORE E D' ANIMO GRATO

QUESTO TENUE LAVORO

CONSACRA

IL FIGLIO AFFEZIONATISSIMO

Vivendi potentia, quam vitalitatem nonnulli vocitarunt, a vita prorsus secernenda est, nec quisquam recte dixerit, vivendi potentism, vivendique actum, unum eumdemque sensum exhibere. Non me animus fallit; in tam implicata humani corporis conformatione, ne puncto quidem temporis, quod quidem percipi possit, haec vivendi potentia a vita potest segregari. Verum in quaestionibus ad vitam pertinentibus duo omnino sunt attendenda: primum videlicet vitalitas, qua praedita sunt organa humani corporis machinam constituentia, deinde corpora quae in illam dum agunt, eidem motum indunt; siquidem nil aliud vita est, quam exterorum corporum in vim vitalem actio, quemadmodum, licet nequaquam dilucide et enucleate, sapienter tamen ostendit Scotus ille Reformator, qui prior *solidismi* fundamenta jecit, ubi asserit, e stimulorum ad *excitabilitatem* applicatione vitam oriri. Qua ex re nihil rationi fuit magis consentaneum, quam ut omnes Physiologorum investigationes in eo versarentur, ut non modo vitalitatis leges definirent, verum etiam mores modosque varios deprehenderent, quibus externa corpora in nos agunt, quidve rationis inter haec et nostra organa intercedat. Horum quoad primum, clarissimi Professoris Galluni physiologicae investigationes, nihil amplius optandum reliquerunt; alteri vero, cui morborum variis e casibus magna lux oboriebatur, sese dedidit non parvus illustrium Pathologorum numerus, qui tanti rem momenti in gravissimas quaestiones deduxerunt. Ac sane nil melius, nihil praestabilius, nihil sanctius esse poterat, languescenti siquidem humanitati meliores explicatus praesto erant causarum, quibus identidem salus in discri-

men vacatur; tutioresque hinc doctrinae, et magis philosophicae, ut iis malis eximeretur, quorum frustra levamen interdum petitur ab ejusmodi arte, quae utilior humano generi esse deberet, qualis fortasse decursu temporis, crescante in dies doctrinarum splendore futura est. Atque hic sapientissimi quique Pathologi, eum de exterorum corporum in organa nostra actione, ejusdemque variis effectibus disceptarent, omnes pariter in hanc sententiam discesserunt, variis modis videlicet ipsa animales texturas posse imprimere *irritando* scilicet, *stimulando*, et *contrastimulando*. Quomodo vero quare de causa haec corpora aliud alio modo in nos agunt, si nil tandem aliud ea possunt efficere, nisi ut elementorum nostri corporis partes constituentium mutuam positurani, proportionemque commutant! Cur quaedam certis limitibus suam vim, actionemque circumscribunt; quaedam vero toto corpore, eodem tempore, propagant atque disseminant? Haec mihi cum hodierna die investiganda susciperim, magna spe teneor fore ut materies ipsa conditioque dicendi plurimis mei operis vitiis indulgentiam precabuntur.

Corpora reperiri alia aliis modis vel contrariis in nos agentia, ex tot obviis, luculentisque factis eruitur, ut hac super re nullus ambigendi locus relinquatur. Ac sane hominem qui quarumdam substantiarum usu suis organis tantum addidit vitalitatis, ut illas etiam impressiones sentiat, quas circa antea indifferens fuisset hominem ipsum nulla etiam evacuatione, aliis corporibus vim suam in illud exercentibus hoc vitalitatis augmentum amittit; nec id solum, sed etiam adeo infra naturalem ejus conditionem deprimi potest, ut insensibilis prorsus evadat iis ipsis agentibus quae in sanitate illud excitahant; idemque demum effectus subsequatur, qui a stimulorum defectu oritur, quique a Braunnio debilitas

directa vocabatur. Verum prima agentium classia humanum corpus, ab eo languore revocat, in quem a secunda detrusum fuerat. Sunt igitur substantiae, quae in nostra organa actiones exercent omnino contrariaa inter se; quas quidem substantias contrastimulantium, aut hypostenizantium, et atimulantium aut hypersthenizantium nomine libuit appellare. Nec hactenus prorsus esset difficile perspicere quomodo quibusque de causis haec corpora alia aliter omnino humanam machinam modificantur. Inter alia vel plurima etiam hoc subponi posset, nimirum ab hyperstenizantibus augeri, minui autem ab hypostenizantibus in nostris organis vim principii illius, quod expandena vocitatur. Quod quidem vel satis ostendere videtur, cur ab illis augeantur, minuanturque, ab his diversi vitalitatis gradus, diversis nostris corporis partibus inhaerentes. Sed in nostra organa exterorum corporum actio nequaquam hisce finibus terminatur. Tertia igitur admittenda erit substantiarum classis, quae illa prorsus aliter, ac duae priores modificetur. In hyperstenica et hypostenica diathesi in vitalitatia augmento, aut diminutione, quos quidem effectus hyperstenizantia aut hypostenizantia important, tertiae hujuace classis actio corporum, quas Pathologi irritantia vocitarunt, nullam utilem mutationem inducit; quin et ab eadem morbi utriusque generis tristissimi effectus promoventur, augenturque. Nec aliter actio deleteria irritantium, quae per organorum, qui excitantur motus, partium integritatem evertit, actio, inquam, irritativa celerius membrorum, in quae hyperstenizantia aut hypostenizantia agunt, dissolutionem inducit. Duo alia agentia, hyperstenizantia videlicet et hypostenizantia, quam citissime toto corpore vim suam percipi sinunt, omnibusque ejus partibus effectus exhibent salutares, contraria diathesi dominante. Contra ea irritantia in illam par-

tem tantum agunt, quam contingunt, aut ad summum in proximas, irritatisque consentientes. Quod si propagatur irritatio, si quando efficit, ut praevaleat diathesis, id tunc solummodo accidere dicendum est, cum irritatio alicujus membri magnam partem invasit, nec unquam id celeriter, ut duae aliae agunt modificantium classes, sed gradatim utique, et, ut ajunt, per irradiationem. Praeterea hyperstenizantia et hypostenizantia, si in diversia corporis partibus operantur, sese invicem adjuvant, semperque ad augendam, minuendamque vitae intensitatem suas vires eodem conferunt, universaque eorum actio, ex singulis actionibus redundat, quae in diversis partibus exercentur. Verum ab irritantibus multum abest, ut alterum alteri opem ferat; quin potius ita agunt, ut partia irritatio alterius partis irritativam conditionem imminuat; ita ut medici quique doctrina praestantissimi magnum ex irritantibus salutis fontem eliciant, dum in partes, aut nil, aut non admodum vitae necessarias, irritationem deducentes, liberant illa organa, quorum laesione ad exitum aegrotus duceretur. Tandem Bondiolius animadvertit, substantias reperiri, quae irritativa facultate polleant; nec non hyperstenizanti et hypostenizanti. Quod si facta omnia tertiam hanc rationem nonnulla inter modificantia humanum corpus admittunt, quomodo profecto ejus leges definiemus, modumve saltem, quo possit illa existere, poterimus intueri? Satis constat, irritantia in cutem, membranasque cuti contiguas agere, et in nerveas hinc extremitates, quae per ipsas diffunduntur; satis constat impressiones ad cerebrum per nervos ferri, atque ab eo reflecti, nisi maxima sit irritatio, ad nonnulla motus organa, maximeque ad illas partes, quas irritantia modificantur; satis tandem constat nervorum, vasorumque sanguineorum adhaesione, nec non lege de motus propagatione, qua impressiones ad centrum maximum perlatae illudque

molestia afficientes, per alios nervos transire debent, ut motus organa excitent, quae aut expansione, aut contractione corporis motum aut minuant, aut tollant, satis inquam constat, illas praeternaturales cerebri impressiones a cerebro in partis irritatae capillaria vasa reflexas, illuc sine dubitatione ulla sanguinis concursum debere deducere. Sed si hyperstenizantia et hypostenizantia pariter tantum in extremum illud integumentum agerent, in membranasque illi adhaerentes, cur tam rapide eorum actio toto corpore diffunderetur, cur ut irritantium actio affectarum partium finibus non circumscriberetur? Nec quisquam recte dixerit, quod fibras nerveas acrius urgeant, idcirco eorum actionem per omnia motus organa propagari. Hoc asserere frustra esset, dum prompte itidem hyperstenizantium et hypostenizantium actio diffundatur, dumque haec ultima, quae modo prorsus a primis diverso agunt, eadem celeritate imminutionem operatur virium, quibus omnia viventis membra praedita sunt. Quod si impressiones, quas haec agentia in extremitates nerveas exercent, haud quaquam satis modum explicant, quo celeriter vasorum, cavorumque internorum vim parietibus inhaerentem afficiunt, admittendum sane est, eorum moleculas per absorptionem circumlatas, naturalem stimulandi vim sanguinis propriam aut augere, aut imminuere, sanguinem ipsum aut hyperstenizantem aut hypostenizantem efficere, ita ut solito majores, minoresve alternos motus exhibeat, et hinc porro augeat, imminuatve vim vitalem parietibus cavorum inhaerentem, quae vasculare systema constituunt. Haec theoria non admodum difficilis intellectu videtur, dummodo quis notas animadvertat, et characteres, quibus vis irritativa ab hyperstenizanti et hypostenizanti secernitur; haec theoria comprobari videtur omnium consensu medicorum, qui dum vitalitatem volunt aut attollere, aut depri-

mere, aliquid substantiae aegrotis praescribere consueverunt, quas isti vel inviti glutire coguntur. Quod si horum agentium vis sanitatem afferentium, in nervena extremitates tantùm agerent, cur profecto opus esset illa in stomachum immitti, cum integumentis potius externis applicari possent, ubi fibrae nerveae corporum impressiones melius percipiunt? Quem autem praeterit hyperstenizantia et hypostenizantia a medicis praescripta, in cava sese dimittere, ubi lymphaticorum actio major est, a quibus ipsa absorbentur et circumferuntur, ut fluidi sanguinei stimulantem vim aut augeant aut imminuant, ac quis unquam dixerit opium aliaque pharmaca, quae in quadam quantitate in ventriculum immissa, tam cita exitialia sunt, tam cito exitialia pariter futura, si cuilibet cutis parti applicarentur, ubi nempe extremitates nerveae externarum virium actionibus magis sunt obnoxiae? Praeterea sic dicta irritantia, quorum in organa nostra actio in imprimendo praeternaturali modo fibris nerveis exercetur, haec inquam irritantia substantiae sunt, aut parum aut nil omnino assimilabiles; eaque medicus plerumque applicat alicujus cuti partis, in qua statuendam arbitratur irritationem, quae et oriri et augeri possit alterius damno irritationis aliquod aliud nobilius organum, vitaeque magis necessarium occupantis. Hinc minime inexplicabile evadit phoenomenon illud, jam tunc ab Hyppocrate perpetua medicorum experientia observatum, minui videlicet, aut prorsus tolli irritationem unius partis, tunc cum in altera parte irritatio major ant per se oriatur, aut data opera suscitetur. Actiones hercle irritantium in partem, quam percellunt, a fibris nerveis ad centrum maximum transferuntur; sed inde lege, quae de motus communicatione obtinet, de qua supra mentionem fecimus, in partem ab irritantibus affectam remittuntur, hique motus molecularum inordinati concursu percient fluidorum,

queis magis magisque angetur irritatio, progrediturque interdum etiam tum cum ejus causa sublata est. Quod si quam aliam corporis partem vehementior causa quaepiam crebrius et fortius percellat, quam aliam, quae in aliud agat organum, tunc illiua impressio in cerebro praevalet, et si impressio composita, quae ex conjunctione omnium illuc simul convenientium constat, ejusmodi non est, ut per omnia motus organa propagetur, transeat necesse erit per fibras nerveas ad partem vehementius irritatam pertinentes, cujus oeconomia vitalis ideo perturbatur, et sanguinis concursu affligitur. Sic artus minori irritationis vi affectus iis vacat organorum motibus, qui illi exitiales essent, quoniam impressiones, quibus ipse obnoxius est, omnes pariter ad partem transeunt, quae crebrius fortiusque imprimitur, demptaque a primo, ab illo scilicet, qui minoris irritationis vi agebatur, materiali causa, quae illum eoormiter stimulabat, ad pristinam cito sanitatem perducitur. Nec sane aliunde interdum evenire dicendum est, ut vescicantia in fatui hominis cutem ruborem exprimere nequiverint, et potuerit quispiam tranquille ac se cruci affigere, quam quod impressiones istae illis minores, quae a cerebro irritato remittebantur in viscera, illud concursum sanguinis augerent, morbumque ingravarent potius, quam organa moverent, quae causam doloris effectricem minuerent, aut extinguerent. Numquid non bis principiis mirum in modum sanationum causae explicari possunt, cum interdum crapulia, ebrietatibus aliisque ejusmodi, quae aegrotantem potius conficere posse viderentur, chronica aliqua irritatio sublata est? Non posset hic medicus potiusquam stolidas ac supinas vulgi querelas disciplinarum nobilissimam criminantia, vel ipse admiratione sua adjuvaret, non posset, inquam, hic medicus salutiferas intemperantiae effectus alicui temporariae acceptas referre irritationi,

quae in aliquo organo constituta, illam quae jamdiu dominabatur extinguere potuisset. Hac admissa theoria, cum etiam satis constet, partem non solum pro vitalitate ipsis inhaerente, sed etiam pro atimulis, quibus ad motum excitantur, moveri, facilem res habet explicatum, cur in diathesi hyperstenica hypostenizantibus utendum ait, et viceversa, dum tunc aut imminuta vi sanguinis nimium atimulante, aut eadem aucta parum excitante, organa in naturalem vitalitatia gradum restituuntur. Verum in conditione irritativa hyperstenizantium usus nequaquam utilis esset, neo hypostenizantium, quod in primo caso intensior fit impressionum reflexio a centro maximo ad artum irritantium actioni obnoxium, ex quo magis magisque crescit irritatio, aut facilius ab irritatione ad inflammationem res transit; quod quidem semper consequi necesse est, cum tot, et ejusmodi impressionea ab affectis morbo partibus ad centrum maximum perducuntur, ut necessario inde redundent ad omnis motus organa, hosque binc ad vasorum parietes internorumque cavorum, quorum augent vim, qua dilatentur, abstringunturque stimulo directe applicato. Hypostenizantium fortasse usus non tantum importabit detrimenti, nil tamen opis inde sperandum, dum in irritatione, quae ita proprie dicitur, vitalitas systematis vascularis parietibus inhaerens non turbata eat, dumque talium usus substantiarum morbo morbum adderet. Itidem in hyperstenica hypostenicaque diathesi non proderunt irritantia, quia nihil aliud agent, quam aut primae indirecte vim augebunt, aut alterius tristes effectus maturabunt, sanguineum videlicet concursum aliquo derivando, minuendaque illius fluidi copia, cujus massa vel tota baudquaquam par erat vitalitati in aegroto fulciendae, amissionibusque reparandis, quibus subjacent corporis partes suam actionem exercentes. Atque hic consentaneum esset ob-

servare, quomodo fluida animalia superius, inferiusque normali gradu assimilata in duabus diversis diathesis in retrogradae decompositionis assimilationibus possem insolitis locum facere secretionibus, quae ut causae irritantes in aliquod organum agerent; hic observari posset quomodo, cum sanguis plus minusve insolito semper modo sit assimilatus, fluida ipsa nutricia plus minusva assimilanda sint, aliter quam in sanitate opus esset, et hinc causa sit haec, cur in hyperstenizantium et hypostenizantium actione potentia partium ad movendum aut augetur, aut imminuitur. Atque aliquid addendum esset de doctrina contagiorum, aut miasmatum, nisi quod a statutis principiis proficisceretur, me in ejusmodi rerum dimitteret pervestigationem, quam meae non arbitror facultatis. Ego hoc unum dicere ausim, debilitatem ab irritationibus inductam ab illa prorsus esse secernendam, quam hypostenizantia efficiunt; quoniam illa nihil aliud agunt, quam ut aliquo concursum cieant, corumque evacuationem curent, atque hinc massam minuant universam, dum haec stimulantem sanguinis vim directe minuunt, totiusque hinc vitalitatis depressioni locum faciunt, cujus quidem generis depressio numquam in irritata parte perspicitur, licet fluidi reparatoris defectu omnia alia organa languescant. Sed ex his principiis haud difficulter erui potest, hyperstenizantia et hypostenizantia posse existere, quae irritandi facultate sint praedita substantiae priusquam absorbeantur, plus minusve in cute membranas illi continuas, atque hoc eo diutius quo minus sunt assimilabiles. Subigitur illae quae se absorptu aliquantum difficiles exhibent, quaeque tandem aut totae aut partim absorbebantur, hae substantiae illae erunt, quae facultate irritandi, nec non hyperstenizandi et hypostenizandi gaudebunt. Verum ne multitudo nominum, quorum pro altero alterum facile posset usurpari, con-

fusionem inducat, hic sub finem jure merito illam arbitror nomenclaturam exhibendam, quam nonnulli nostrorum temporum praeclari Pathologi proposuerunt. Nimirum stimulantia vocarem illa corpora aut externa, aut intromissa, perque interiora cura circumlata fluida, quae impressionem in partes vitalitate praeditas ejusmodi exercent, ut ad statum eas pristinum valeant adigere: dicerem autem irritantia illa corpora, quae cum minime assimilatione polleant, impressiones tantum insolitas et inordinatas membranis externis et cuti adfigunt. Hypersteoizantium tandem et hypostenizantium nomine illa nuncuparem modificantia, quorum elementa cum sint assimilabilia, a vasis lymphaticis absorbentur; sed ita stimulantis vim sanguinis augent aut imminuunt, ut hic solito plus minusve vasorum parietes imprimens, non solum motus consuetis majores minoresve efficiat, sed vim quoque ejus vitalem aut augeat aut imminuat. Dixi.

THESES

I.

In operatione cataractae dilatatio pupillae arte prius promovenda.

II.

Inter medica inventa vaccinatio principatum tenet.

III.

In lue syphilitica confirmata ex mercurialibus actione certa sublimatum magis pollet.

IV.

Mercurius, uti metallum purum, humanum organismum vix afficit.

V.

Mulier syphilitica potest interdum contagium, quo afficitur, foeto suo communicare.

VI.

Medica peregrinatio quamplurimis ferax videtur emolumentis.

VII.

Miliaris quendam praeaefert odorem, qui summopere in diagnosi juvat.

VIII.

Venenum in cadavere repertum minime partum accusat veneficium, etiamsi veneficii symptomata eminenter eluxerent.

IX.

Nnllua dubitat Rino-plasticam Indorum magnopere Italicam praestare.

X.

Opium interdum repertum est validum febrifugum.

XI.

Balaamum Copaivae, primo blaenorrheae stadio peracto, propinari poteat.

XII.

Balsamum Copaivae minime propinandum in blaenorrheis mulierum.
